



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. v. Characteres passionum appetitus irascibilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Quæst. III. Sect. V. de Charact. passionum. 569

omnis boni.

omnis boni; nam turbat & impedit omnem operationem rationis, & intelligentiæ, si fuerit immodica; tunc enim cum tristitia mentem occupat, nihil vel intelligere, vel addiscere, vel rectè concipere potest animus, eo quod obiectum doloris totam ad se trahat vim intelligendi, absumat spiritus, corpus aggrauet. Deinde appetitum etiam totum occupat, trahitque ad se voluntatem, adeo ut nec placere possit virtus, neque rectum vllum consilium ritè suscipi, mente vndique obfessa, fatigato appetitu, corpore debilitato. Sicut enim tinea vestimento, & vermis ligno, sit tristitia cordi nocet, ut habetur *Proverb. 17.*

Secundò nocet etiam corpori, cor enim maxime contrahit, adeo ut aliquibus post mortem inuentum sit cor non latius membranâ. Causat etiam sanguinis & spirituum contractionem ad cor, & sic eos auocans ab instrumentis sensuum; vnde sequitur macies, & ossium exsiccatio, eo quod euocentur spiritus ad cor, quod cum illis grauetur, erumpunt suspiria, & sic cor leuatur; erumpunt etiam lacrymæ, quia cerebrum etiam contrahitur, videturque per eos quasi tubos ipse dolor quodammodo euaporari, ut ait Basilius homilia de gratiarum actione. Denique qui dolent, societatem hominum fugiunt, amicorum solatia illis sunt molesta, nihil eis placet præter cogitationem rei, de qua dolent.

Colliges ex his, quænam remedia prodesse possint ad leniendam tristitiam quando praua est, & non est secundum Deum. Primum est depellere à nobis opinionem mali ob quod tristamur; non enim affligunt nos ipse res, sed ea, quas de rebus habemus opiniones, inquit Epictetus in *Enchiridio*, cap. 10. Secundum habere præmeditata mala, quæ possunt contingere; præcogitati enim mali mollis ictus venit, inquit Seneca *epist. 77.* Tertium bona cogitare, quæ oriri solent ex aduersis. Optimè Seneca *epist. 86. Malo me fortuna in castris suis, quam in deliciis habeat.* Quartum auocate animum & cogitationem à malo, quod præsens est, & conuertere ad bona, quæ habentur, vel putantur futura. *Spe gaudentes*, inquit Apostolus, *in tribulatione patientes.* Quintum cogitare humanum esse aduersa pati, nec esse quemquam cui non ad sint quamplurima. Mortalis nemo est quem non attingat dolor, inquit Euripides apud Tullium 3. *Tusculanarum.* Sextum cogitare inutilitatem tristitiæ, quæ malum non minuit, sed auget cruciando. Septimum adhibere illa quæ delectationem afferunt, ut studium literarum, amicorum confortia, & consolationes; delectat enim amari.

SECTIO V.

Characteres passionum appetitus irascibilis.

E sunt spes & desperatio, audacia & timor, ac demùm ira. Quarum omnium subiicio breuissimam explicationem.

S. 1.

Spes & desperatio.

Spei definitio.

Dico primò, spem, prout passio est, rectè definire. Est actus appetitus prosequenti in bonum arduum, possibile, quod apprehendi ut modo futurum, cum quadam firmitate difficultatem oppositam superante.

Primò ergo spes actus est appetitus profecturi. *R. P. de Rhodens curs. Philosoph.*

Aui; est enim motus in bonum: motus autem ad res pertinet ad appetitum, quoniam actio potentiae cognoscentis perficitur secundum quod res sunt in cognoscente, non secundum motum cognoscentis ad res; cognitio enim facit obiectum præsens: spes ergo actus est appetitus; & quidem efficax, addit enim firmitatem quandam ad superandas oppositas difficultates; vnde proprium est spei gignere audaciam.

Secundò est motus in bonum absens, arduum, possibile. Absens, quia quod actu possidetur, non speratur, spes enim desiderium quoddam est, & intentio finis. Arduum, quia spes pertinet ad appetitum irascibilem, & per hoc differt à simplici desiderio, quod tendit in bonum absolute sumptum. Possibile, quod nimirum iudicamus posse obtineri; nam quæ iudicamus non posse obtineri, non sperantur, sed de his desperatur. Quia verò bonum illud, quod speratur, superat vires ipsius sperantis, nec sine alterius auxilio est possibile, hinc fit ut spes sæpe connotet auxilium alienum tanquam aliquid necessarium ad possibilitatem obiecti sperati, atque adeo ut hoc auxilium sit vnum ex obiectis speratis. Huiusmodi est spes christiana, quæ sic respicit Deum remuneratorem, ut respiciat etiam auxiliatorem, idest omnipotentem & fidelem ad præstandum auxilium quod promissit, sed indirectè tantum & secundariò id respicit, ut dicam statim.

Tertiò spes est motus in bonum, quod aliquo modo apprehenditur futurum; non enim ad rationem spei satis est, ut possibile iudicetur esse id quod speratur, sed requiritur etiam ut iudicetur futurum. Nemo videlicet sperat quod iudicat se non adepturum; sed neque sperantur ea, quæ iudicantur infallibiliter futura; nemo v. g. sperat solem cras orturum, sed ea quæ sub aliqua probabilissima opinione iudicantur futura; ita tamen ut possint non esse futura. Ex quibus

Colliges primò, rationes illas enumeratas boni absentis & ardui non esse formalia obiecta ipsius spei, sed conditiones duntaxat aliquas, sine quibus obiectum bonum non haberet illam cum appetitu proportionem, ratione cuius eam posset mouere ad prosequutionem spei propriam. Ratio enim absentis & ardui non est id quod appetitur, cum sit ratio quædam mali; sed quod appetitur est ipsum bonum, quod arduum est & absens; cuius per spem, ut spes est appetendi ratio, est proprius illa specialis, quæ tali bono conuenit, propter conditiones illas adiunctas absentis, ardui, possibili & futuri.

Colliges secundò, formale obiectum spei non esse auxilium ab aliquo præstandum ad asequutionem sperati boni; hoc enim, ut dixi, vnum est ex sperandis, & spei obiectum vnum materiale, sed non est motuum sperandi; nam indigentia auxilij alieni ut sic non est ratio aliqua boni; imò multa speramus propriis viribus obtinenda, sicuti speramus vincere hostem. Obiectum ergo formale spei semper est bonum nostrum ut obtinendum, quod aliquando nullam continet alienam opem, sed aliquando sic respicit auxilium ab aliquo præstandum, tanquam causam effectiuam, sine qua bonum illud esset impossibile, vel certè non esset futurum; sic enim v. g. contingit in spe christiana, cuius formale obiectum est Deus, summum bonum nostrum aliquando obtinendum, connotans Dei auxilium, sine quo bonum illud obtinendum non esset. Dicite igitur ordinem ad Dei fidelitatem & omnipotentiam, per quas bonum illud fit possibile, ac futurum. Duo igitur sunt distinguenda in actu spei; actus

B B B

quo

quo firmiter credo Deum mihi auxiliaturum, & actus quo tendo in bonum quod mihi per Dei gratiam efficitur possibile. Ratio autem est, quia spes est actus amoris concupiscentiæ; nam ex amore concupiscentiæ, quo bonum amamus nostrum, posita cognitione possibilitatis illius, nascitur in appetitu desiderium & intentio efficax assequendi bonum hoc arduum, qui est actus spei: ergo spes tendit in bonum nostrum ut bonum nobis est, non autem in auxilium.

Colliges tertio, quomodo distinguatur spes ab alio quolibet actu voluntatis? A desiderio enim distinguitur, quia spes respicit bonum arduum; respicit efficaciter, & cum erectione animi adversus difficultates. Ab intentione finis non distinguitur nisi ratione arduitatis boni, quam non semper respicit intentio.

Spei causa.

Dico secundo, causas spei easdem illas esse, quæ causæ sunt desiderij & amoris. Deinde spei causæ peculiares esse plurimæ possunt: primo subsidia rei obtinendæ opportuna, quia creditur obtineri satis facile posse illud bonum. Ex quo colligit Philosophus, iuvenes valde ad spem pronos esse, quia non sunt experti subsidia sperare deficere sæpe solere, neque satis cognoscunt difficultates. Similiter facile ij sperant, qui potentes habent amicos. Secundo experientia spem non raro excitat, cum usu compertum est difficultates posse superari. Tertio maxima incommoda spem sæpe acunt.

Effectus etiam spei conveniunt cum effectibus amoris & desiderij. Deinde dicitur spes lenire omnes labores, unde in mediis carceribus dicit Apostolus, *Gloriamur in spe gloria filiorum Dei*. Præterea diligentiam ad operandum incredibiliter acuit; unde Philo spem ait Antistitam & Aedituam esse Palatii, quod inhabitant virtutes omnes.

Desperatio quid sit.

Dico tertio, desperationem esse actum appetitus, quo ille victus difficultate adipiscendi boni, refugit ab illo æstimato ut impossibili.

Primo desperationem pono actum aliquem appetitus, non autem iudicium intellectus duntaxat; possunt enim in eo qui desperat de adeptione alicuius boni spectari duo; alterum est absolutum iudicium intellectus, quo iudicat aliquis se non posse consequi bonum illud, vel certe se non illud assequiturum. Alterum est fuga illius boni; actus videlicet, quo refugit tale bonum ut impossibile, vel difficile obtineri, ac proinde nunquam obtinendum; desperatio enim opponitur spei: ergo desperatio actus est voluntatis.

Secundo dixi desperationem actum esse, quo appetitus refugit bonum ut impossibile; nam tamen si desperatio actus est aversativus, qui versari non potest circa bonum ut bonum; versari tamen potest circa bonum tanquam circa obiectum materiale; obiectum autem formale illius est impossibilitas, vel difficultas illius boni superans vires proprias; desperatio enim est propriè nolitio, & odium boni sub ratione impossibilis aut difficilis: bonum ergo, de quo desperamus, sæpe cupimus absolute, sed avertimur tamen illud ut impossibile, ac difficile. Sæpe tamen solum adest iudicium intellectus de impossibilitate boni, quæ non est desperatio, nisi accedat nolitio boni ut difficilis. Communiter enim dicitur, eum, qui certus esset de sua damnatione, non posse desperare, id est non posse nolle beatitudinem, licet iudicaret se nunquam illam assequiturum.

Dico primo, audaciam esse actum appetitus, quo ille fertur in opus difficile vallatum periculis, quatenus existimatur medium vile ad consequendum finem.

Ratio est, quia in eo audacia differt à spe, quod spes versetur circa finem immediate, audacia vero circa executionem mediorum difficilium, in quibus est periculum; cum enim affectus spei, ut dixi, sit motus quidam in bonum arduum difficultatem oppositam superans, seu affectus quidam prosequutionis efficax cum quadam firmitate difficultatem oppositam superante, proprium illius est gignere affectum audaciæ, qui respicit quidem rationem ardui, sed eandem tamen illam, quæ à spe respicitur; spes enim eam respicit rationem ardui, quæ consistit in sola difficultate rem aliquam obtinendi; audacia vero respicit eam rationem ardui, quæ oritur ex nocuentis, & damnis, aut damnorum periculis, quæ possunt imminere. Vterque igitur affectus est erectio quædam appetitus contra rationem ardui; sed nihilominus spei concessa est audacia velut famula, quæ circa medium difficile versetur, ut bonum speratum obtineri possit. Obiectum enim materiale est ipsum malum, vel periculum mali imminens; formale autem est illud malum propterea est medium obtinendæ rei speratæ accommodatum, & sic induit rationem boni.

Causas easdem habet audacia, quas dixi esse causas spei. Adde tamen ex Philosopho lib. 1. Rhetoricæ, cap. 5. illos esse maxime audaces, primo qui recte se habent erga diuinam, quia certo sibi pollicentur Dei auxilium, per quod superare possint difficultates. Secundo illi qui acceperunt iniuriam, sunt maxime audaces, quia communis est persuasio, Deum iis opitulari, qui affecti sunt iniuria. Tertio illi qui sæpe subierunt pericula & evaserunt. Dupliciter enim audaces fieri solent homines; aut quod experti non sint, aut quod auxilium habeant. Quarto si terribile illud periculum non sit à potentioribus, sed à paribus, aut minoribus, & quibus meliores se esse putant. Quinto si plura & maiora sibi putant inesse, quibus cum excedant, timendi sunt; ea sunt pecuniæ, magnitudo, vires. Sexto si neminem iniuriis affecerunt, aut non multos, aut non eiusmodi, quos metuerent.

Dico secundo, timorem esse actum appetitus aversativum, in malum futurum, proxime imminens, & ægrè euitabile.

Ratio est, quia timor distinguitur ab odio, à fuga, & à tristitia. Distinguitur ab odio, eo quod timor avertetur malum futurum; ubi tamen queri potest quomodo bruta timere aliquid possint, cum non cognoscant futura? Sed respondeo futura cognosci posse imperfectè per sensum internum, & sub aliquo dubio; quod sufficit ad timorem. Differt etiam timor à fuga simplici, quod timor respiciat malum arduum proxime imminens; non enim timeantur mala, quæ longè absunt, ut notat Aristoteles lib. 2. Rhetoricæ, cap. 5. omnes enim, inquit, sciunt se morituros; verum quia non propè, non curant, sed morbo pressi vehementer timeant. Denique differt timor à tristitia, quia timor avertitur malum quod ægrè potest euitari; si enim, inquit Philosophus eo loco, malum sit prorsus inevitabile, timorem non parit, sed tristitiam, & timorem quendam

Quæst. III. Sect. V. de Charact. passion. 571

quendam inefficacem; obiectum enim timoris est malum aliquo modo dubium.

Generica
eius diui-
sio.

Ex quibus colliges primò diuidi timorem vniuersim in sex membra, segnitiam, pudorem, verecundiam, admirationem, stuporem, agoniam seu angorem. Segnitias est timor laboris vires excedentis, quo retardatur aliquis ab opere: pudor seu erubescencia est timor labendi, & infamiam promerendi. Verecundia est timor infamiae ob admiscam turpitudinem; hæc enim duo, quæ sæpe confunduntur, in eo differunt, quòd pudor scelus respiciat patrandum, verecundia patratum, sed uterque sit metus probri. Admiratio est timor magni mali, cuius non possit facile reperiri exitus, licet aliàs admiratio communius significet laudationem rei alicuius magnæ, ac singularis; quæ laudatio continet iudicium de magnitudine rei alicuius, oblectationem appetitus in ea, & voluntatem eam laudandi. Causæ admirationis hoc modo sumptæ sunt ignorantia, & rei magnitudo. Stupor est timor mali, quòd propter nouitatem, & inesperienza ingens videatur. Agonia est timor improvisi mali, cui prospici non potest; vel etiam est timor, ne quod aggressi sumus, non cedat ex sententia.

Timoris
diuisio
apud
Christia-
nos.

Varie ti-
moris
causæ.

Colliges secundò, timorem apud Christianos rectè diuidi in mundanum, seculum, filialem & reuerentialem. De qua diuisione dixi fusè in Theologia.

Dico tertio, causas timoris plures esse. Prima, & principalior est malum futurum, & probabiliter saltem imminens. Vocat huiusmodi mala Philosophus terribilia; ea scilicet quæ magnos dolores, aut corruptiones inducunt; imò signa illorum terribilia sunt & timentur, vt inimicitia & ira potentium; nam cum non lateat velle ac posse ipsos, propè ad iam faciendum sunt. Item iniustitia vires habens. Similiter in potestate alterius esse timorem infert, quamobrem consilij aliquid quempiam fecisse, timentur, ne aut dicant, aut deferant. Potentes illis terribiles sunt, qui possunt iniuriis affici, homines enim vltimum, cum possunt, inferunt iniuriam. Timentur quoque, qui passi sunt iniuriam, aut pati se putant; semper enim expectant opportunitatem. Qui item iniuriam intulerunt, terribiles sunt; timent enim ne par referatur: ad hæc qui de iisdem certant, cum vtrisque simul eadem esse non possint. Ex affectis iniuria non timentur ij qui sunt acutæ iræ ac minaces, sed tranquilli, & dissimulatores. Cuncta verò quæ timentur, terribiliora sunt, si cum errauerint, corrigi non possint. Denique terribilia sunt ea quæ quoties in alios sunt aut imminet, sunt miseria.

Secunda causa timoris est amor; res enim est solliciti plena timoris amor, quia qui amat, displicere metuit dilecto, vel etiam timet iacturam rei amate. Tertia defectus potestatis ad resistendum potentioribus. Quarta, mala conscientia; *Magna enim, inquit Tullius, vis est conscientia, vt neque timeant, qui nihil commiserunt; & poenam semper ante oculos versari putent, qui peccauerunt.* Quinta cognitio periculi presentis, sic enim noctambuli si subito excitentur, turbantur, & sæpe pereunt. Sexta vehemens desiderium alicuius boni, quod magni sit. Septima frigiditas sanguinis cum magna copia atrabilis; qui enim habent huiusmodi temperamentum, ij vehementer sunt timidi.

Dico quarto, timoris etiam effectus plures & pessimos esse.

Primus est spirituum & caloris recursus ad partes interiores, vnde sequitur pallor in vultu, &

tremor in extremis membris; maxime autem in metu tremere solet labium inferius, quia illud facilius frigescit. Hinc etiam qui timent, decidunt facilius à loco in quo incederent securi, si non timerent.

Secundus est horror capillorum, quia collecto in interioribus partibus calore, pori restringuntur frigore, vnde capillorum per poros erumpentium sequitur rigor & contractio.

Tertius est vocis trepidatio, & interdum etiam præclusio, quia calore destituta instrumenta vocis munus suum non obeunt; hinc etiam fit vt qui timent, vocem reddant acutiorē, quia contrahitur arteria, cuius contrarium in pudore accidit; cum enim in eo sursum euocetur sanguis & spiritus, dilatur etiam arteria, & vox fit grauior.

Quartus est sitis, quia collecto intus calore, ardent viscera, & humidum absuntur.

Quintus cordis palpitatio, canities præproperea, & interdum etiam ipsa mors.

Verum mirabile omnino est, quare in pudore, qui timor sine dubio quidam est, non pallescat tamen vultus, sed erubescat; quem ruborem pulchrè vocabat Diogenes, colorem ipsius virtutis. In pudore videlicet sanguis & spiritus ad vultum conflunt, in vulgari metu concurrunt ad cor.

Causa tamen huius discriminis ista sine dubio est, quia pudor timor est modicus, per quem pauci ad cor euocantur spiritus; vnde illi quos pudor afficit, initio pallescent aliquantulum, postmodum verò rubescunt, quia facies eorum in alterius presentia multum laborat, quasi non sustineat vultum alterius, idè in pudore oculos demittimus, manu faciem tegimus; idè ad partem illam tanquam laborantem accurrit spiritus & sanguis, qui prius accurrerant ad cor.

Colliges ex iis remedia timoris ista esse potissimum. Primò minuire amorem & cupiditates; qui enim nihil habet quod cupiat, is metuit nihil. Sublata videlicet causa, effectus non sequitur. *Desinis timere, si sperare desinis*, inquit Seneca *epist. 5.* Secundò ea quæ valent ad tollendam tristitiam, timoris etiam remedia sunt; nemo enim ea futura metuit, de quibus non dolet presentibus. Tertio minuire opinionem mali quod metuitur; plura enim sunt, inquit Seneca *epistola 13.* quæ nos terrent, quam quæ premunt; & sapius opinione, quam re laboramus. Quarto cogitare inutilitatem timoris, & mala quæ ante tempus sine fructu cruciant. *Quæ ista dementia est* (inquit idem *epist. 98.*) *malum suum antecedere.* Et *epist. 13.* *Illud tibi precipio, ne sis miser ante tempus; cum illa quæ velut imminetia expansisti, fortasse nunquam ventura sint. Certe nondum venerunt.* Vide cætera.

S. III.

Ira.

Dico primò, iram rectè à Philosopho definiti *Ira definitur lib. 2. Rethoric. cap. 2. Est appetitus eius quæ nitio. apparet vltionis, propter apparentem immeritò vel in se, vel in suos contemptum.* Vel breuius, *Ira est appetitus vindictæ propter contemptum.*

Ratio est, quia cum quis intulit alteri molestiam, effernescit illud repellendæ molestiæ appetitus, & illius in authorem ipsam retorquendæ, quæ appellatur vindicta compensans illum moerorem. Hæc est propriè ira, verus affectus prosequutus; quia compensatio & retributio accepti mali rationem aliquam boni habet, idè ira malum respicit

B B b 4 sub

sub ratione aliqua boni. Debet autem vindicta illa apparere ut possibilis; si enim appareat impossibilis, non ira oritur, sed tristitia. Deinde appetitus ille vindictæ nascitur ex contemptu coniuncto cum dolore; causa enim iræ altera remota est, altera proxima. Remota est iniuria per despicientiam illata. Proxima est dolor conceptus ob talem despicientiam. *Irritat læso dolorem*, inquit Lactantius, & dolor appetitum facit ultionis.

Neque obstat, quod rebus aliquando irascimur inanitis, à quibus neque contemptus, neque villa iniuria proficiscitur. Calamo enim non raro irascimur parum apto ad scribendum. Illa est enim vera vlciscendi voluntas, & quasi umbra quædam retributionis, ut qui mala faciunt, inquit Augustinus, mala etiam patiantur; quia scilicet homo per illum actum eodem modo se habet, ac si accepisset iniuriam, & eam vlcisceretur.

Quomodo
differat ab
odio.

Colliges ex his primò, quomodo ira differat ab odio inimiciæ & à simplici desiderio? Differt ab odio illo, primò quòd ira licet occasione sumat ab ipso damno illato, velique alteri damnum, sicuti odium inimiciæ; peculiari tamen quodam modo vult illud malum sub formalitate compensationis & vindictæ; non autem odium inimiciæ, cuius aliquam veluti particulam esse iram docet Philosophus *lib. 5. politic. cap. 10.* Quia odium est generalius, quàm ira; imò si durat ira, degenerat in odium. Præterea, inquit idem Philosophus, odium magis ratione vitur quàm ira; nam ira cum dolore fit, idè non facile ratione vitur; odium verò lentius est, cum sit sine dolore. Deinde ira semper aliquid respicit singulare, non autem odium; nam omnes & furem oderunt, & calumniatorem. Odium versatur circa malum, ira respicit bonum: odium est sine dolore, ira præuium dolorem supponit, & ex eo nascitur; ob eum enim reponere vult vindictam, & quasi dolorem dolore compensare. Idè etiam ipsa dulcissima est, & ut notat Philosophus, defluente melle dulcior in virorum pectoribus gliscit. Ex amaro igitur oritur suauitas, quia gratum est consequi, quod exoptas; idcirco etiam immoratur in cogitatione vlciscendi; quæ imaginatio, inquit, voluptatem similem ei facit, quæ in somnis accidit.

Et à desiderio.

A desiderio differt, quia desiderium non supponit necessariò dolorem; ira tamen supponit: unde non quicumque vindictam expetit, irascitur, sed quicumque irascitur ob dolorem; nam etiam ira desiderium quoddam est.

Ira tres
species.

Colliges secundò, iram vulgò in tres species commodè diuidi, exardescientiam, similitatem, & inimicitiam. Prima, quæ vocatur etiam fel, est iræ impetus subito enascens, & parum durans. Simultas est ira permanens & diuturna. Inimicitia est ira nunquam conquiescens, donec sumatur vindicta. Eos qui primà specie iræ concitantur, vocat Philosophus acutos; qui secundà, amaros; qui tercià, difficiles. In prioribus humor biliosus præualet, qui citò accenditur; in aliis biliosus simul & melancolicus, qui tardius extinguatur.

Causæ
eiusdem.

Dico secundò, causas iræ omnes reuocari debere ad iniuriam, seu contemptum, ex quo dolor nascitur, & ex eo dolore ira. Plurimum tamen conferunt abundantia biliosi & melancolici humoris in corpore.

Ratio est, quia licet tres sint veluti partes contemptus propriè dicti, despectus, detractio, contumelia; tamen quælibet iniuria iram concitat, tametsi nulla est, quæ pungat acrius, quàm despicientia. Sicut autem amoris deseruit sanguis, odio, timori;

tristitiæ melancolia: ita bilis deseruit iræ; nam illa motu iræ insurgente statim effervesceat & concitatur tanquam in malum præsens factura imperum. Motus enim spirituum & humorum respondente motibus animorum propter sympathiam corporis & animæ. Maxime igitur irascuntur illi primò, qui contemnuntur in iis, in quibus se maiores putant. Vir v.g. eruditus, si damnetur imperitiis, difficile tolerat. Secundò illi qui circa ea impediuntur, quæ maxime cupiunt, & quibus maxime indigent. Idè agrotantes, pauperes, amantes, & tientes, & vniuersaliter aliquid cupientes, & non assequentes, iracundi sunt, & facile incenduntur, maxime in eos qui contemnunt eos, maxime ob præsentem fortunam; pauper in eos à quibus ob paupertatem contemnuntur; amans iis à quibus spernitur ob amorem. Præparatur enim quilibet a turbatione, quæ in ipso est. Quartò si forte opposita expectabat; maiorem enim infert dolorem quod est præter opinionem. Quintò qui sunt contemptibiliores, magis proni sunt ad irascendum, cum sæpe patiantur contemptum. Sextò, qui animo sunt angusto & infirmo. Septimò superbi, quos videlicet contemptus acrius pungit. Octauò studiosi facile irascuntur, quia spiritus consumunt inferuientes lætitiæ. Ob eandem causam melancolici & fatigati corpore accenduntur facilius.

Irascimur autem primò deridentibus & conuiciantibus: secundò iis qui officiunt: tertio videntibus ea quibus maxime studemus: quarto amicis facilius quàm inimicis, & assuetis honorare ac magnificere, si contemnunt: quinto iis qui apud illos nos contemnunt, à quibus maxime honorari cupimus; quos admiramur, quibus mirabiles videri volumus, quos metuimus, & à quibus metuimur. Alia huiusmodi plura persequitur apostolus Philosophus *lib. 2. Rhetoric. cap. 5. & 26.*


Dico tertio, effectus iræ plurimos esse ac perniciosissimos.

Primus est fetor quidam cordis cum quadam amaritudine, unde à pluribus etiam ira desinitur sanguinis effervescentia circa cor. Secundus est incompositus totius corporis status. *Ira sue similitudinis*, inquit Gregorius, *incensum palpitans cor, corpus fremit, lingua se præpedit, facies ignescit, asperantur oculi, &c.* Anobis *lib. 1. Quid ergo sequitur necessario, nisi ut ex illius luminibus summa emicent, flamma asium, anhelum pectus spiritum acciat, ex ore & ex verbis ardentibus labiorum scintillas inualvescat.* Tertius est delectatio ex vindictæ spe, & obscuratio rationis. Qui irascuntur, inhiant in vindictam. *Per viscera ipsa quære supplicii viam, si viciis, anime.* Iram exsuscitant eorum comparationes, qui vel minori, vel parti de causa irati sunt. Iniuriam acceptam extollunt; vix ipsa tantum, vix adhuc creditur malum. Ab ira se nunquam discelfuros profitentur, nunquam concitatus cessabit in pœnas furor, crescetque semper: queruntur quòd tardiores sint in vlciscenda iniuria. In seipsos irascuntur ob amissam vlciscendi occasionem. Ebullitionem sanguinis circa cor sentiunt, seque vellitari ad ultionem: manca eorum oratio est ad declarationem iræ. Eos quibus irascuntur, despiciunt. *Eiectum littore, egentem excepi, & regni dementem in parte locavi.* Partes corporis omnes incitant ad fumendam vindictam, furoris arguunt mediocritatem, videntur in amentiam versi, hortantur se ad maiora. Inducunt facilia omnia esse ad vindictam. Proferunt se moliti magna. Iram extollunt, à persona læsa & lædente. Illatam iniuriam narrant & exaggerant. Latantur tanquam ultionem viderent.

derent. Eorum omnium causa est, quia bilis cum accendatur insurgente motu iræ, accendit etiam spiritus, unde statim turbatur ratio, quia spiritus esse debent temperati & tranquilli, ut sint idonei mentis functionibus. Excitantur etiam vapores ab eadem bile effervescente, qui caput opplent & ofuscant. Denique idem humor biliosus calefactus passionem etiam iræ augeat per sympathiam, indeque totum immutat corpus, quia est valde calidus; unde cum spiritibus & sanguine simul foras sefert prodit in oculis & vultu, veluti vnâ in hostem rursus.

Colliges ex his primò, quænam remedia sint idonea ad sedandam nostram in alios iram. Primum & optimum est animi demissio & humilitas; nam ira oritur ex dolore ob contemptum; qui autem humilis est, non molestè fert contemptum. Secundum vt minusvni opinionem contemptus, seu iniuriæ accepta. Tertium vt proprios cogitemus defectus. Quartò vt tantisper cohibeamus animum à vindicta, donec ira deferbuerit. Quintò fugere iracundotum hominum consortium. Sextò non multùm inquirere, quid de nobis dicatur. *Multa nos iniuria transiunt,* inquit Seneca, *ex quibus plerisque non accipit qui nescit.* Septimò ponenda ad oculos exempla patientiæ.

Colliges fecundo aliorum in nos iram sedati.
Primum si non obstitimus irato: initia malorum
quies curat. Secundò inuat suavi oratione iratum
placare. Tercio fateri culpam, & irato non con-
tradiciere. Et hæcenus de passionibus satis sit, vt
ex his intelligere quisque possit earum victoriam,
totum esse debere studium sapientiæ.



DISPUTATIO III.

*De virtutibus moralibus
in specie.*

Aristoteles à lib. 3. ad 10.



ACTENVS in genere proposui virtutis moralis naturam, actus, & materiam, vt inde cognosci possit vniuersum character ipse virtutis: nunc ad singulas explicandas curam conuertit Philosophus, & explicatque primum fortitudinem, temperantiam, iustitiam; deinde virtutes intellectuales, semivirtutes, & amicitiam. Ego parum ab eo discessero, si quatuor questionibus Cardinales quatuor virtutes exposuero.

QVÆSTIO I.

*De fortitudine, & adiunctis ei
virtutibus.*

Aristot. lib. 3. à cap. 6. ad 10.

O Rditur ergo Philosophus à fortitudine, non quòd ea reliquis præcellat virtutibus; sed quòd naturiitate illas ferè antecedit omnes, imò & quodammodo complexa esse videatur. Vnde factum esse notat Guillelmus Parisiensis *lib. de virtutibus, cap. 4.* vt virtutis genericum nomen illi soli aptatum sit. Mihi dicere satis erit eius naturam & vi-

Atia opposita; deinde partes illi annexas, & opposita singulis vitia.

SECTIO I.

De natura fortitudinis.

Certum est primò, dari virtutem aliquam specialem ab aliis omnibus distinctam, quæ fortitudo appetletur; fortitudinis enim nomen, vt rectè docet S. Thomas 2. 2. *quest. 123. art. 2.* significat primò firmitatem quandam animi in bono honesto; & sic fortitudo generalis est virtus, vel potius conditio virtutis cuiuslibet, cuius proprium semper est, inquit Philosophus 2. *Ethic. cap. 4.* firmiter & immobiliter operari. Secundo fortitudinis nomen significat firmitatem animi in sustinendis & repellendis iis, in quibus est difficile firmitatem habere, vt sunt mortis pericula; & vt sic illa est virtus specialis, quia materiam habet determinatam, & honestatem respicit specialem, à qua mouetur, & à qua specialem habet difficultatem & laudem.

Certum est secundò definiri optimè fortitudinem 3. *Ethic. cap. 7.* mediocritatem, quæ circa timores fiduciales versatur. *Qui igitur, inquit, ea quæ oportet, & cuius causâ oportet, & ut oportet sustinet ac timet, & simili etiam modo confidit, fortis est; quippe eam pro dignitate, & sicut ratio prescribit, fortis vir & patitur, & agit.* Consonat Tullius citatus ab Augustino lib. 83. quæstionum, quæst. 31. *Fortitudo, inquit, est considerata laborum perpassio, & periculum susceptio.* Quali diceret, fortitudinem esse virtutem, quâ inducitur mediocritas in affectus timoris & audaciæ; ne impediatur voluntas ab eo quod circa malorum pericula hominem decet. Quæ definitio vt intelligatur, explicari debent fortitudinis obiectum, actus, proprietates, vitia fortitudini vel opposita, vel similia.

Fortitudo
virtus ab
aliis di-
stineta.

Forcetur
dinis defini-
tione.

§. I.

Obiectum fortitudinis.

Aristot. 3. *Ethic.* cap. 6.

DVo probat Philosophus *cap. illo 6.* Primò fortitudinem versari circa terribilia, tanquam circa proprium obiectum: secundò illam non versari circa quælibet terribilia.

Dico primò, fortitudinis materiale obiectum remotum esse res terribiles, idest mala & pericula, præsertim maxima, cuiusmodi est mors, & ea quæ spectant ad res bellicas.

Ratio est, quia fortitudinis obiectum, vt rectè
notat S. Thomas 4. *Ethic. lect. 1.* aliud est remotum,
aliud proximum. Proximum sunt passiones, qui-
bus fortitudo imponit mediocritatem. Remotum
est id circa quod versantur huiusmodi passiones.
Illud dici esse terribilia, idest mala & pericula ma-
lorum; deinde quantum sint ea terribilia.

Primo ergo probat Philosophus, terribilia respici à virtute fortitudinis, quia fortitudo est medioeritas circa timores & fiducia: sed timores & fiducia non versantur nisi circa res terribiles; solas enim illas metuimus, cum illæ simpliciter sint malæ; metus autem expectatio est mali, & circa eas etiam exercetur fiducia, vt patet: ergo terribilia, idest ea quæ difficile sunt aut tolerantur, sunt obiectum fortitudinis. Probatque S. Thomas q. 123.

Fortitudinis materiale
obiectum remotum.